



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 5. De Teno & Mycone.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## N V M. 3. De Zacyntho.

ZACYNTHVS *Zante*; excurrit in *longitudinem*, ad 25. millia passuum: in *latitudinem* 20. ambitus est 60. 12. millibus à Cephaloniâ, 15. à Castello Tornesio in Moreâ distat.

Abundat vino, & oleo; sed frumentum malignè cultoribus suis sufficit; itaque milio pro frumento plerique vtuntur; vuarum Corinthiarum ducenta millia capfarum efferuntur.

Incolæ ingeniosi, & solertes, partim Græci, partim Itali: eorum tria millia in armis expediti solent esse quoties piratarum metus ingruit: 120. pedites stipendiarij aluntur à Rep. 80. stratiotæ ad custodiam littoris: ij solent ignes excitare quoties piratæ moluntur exscensionem. Regitur Insula à Prætore, *Providadorem* dicunt, cui duo alij Nobiles Veneti assident, & hinc colligitur vectigal 7500. Ducatorum.

## N V M. 4. De Cytherâ.

CYTHERA, vulgò *Cerigo* dicitur, quam Cicula Sinanus Bassa speculam Ægæi maris nominabat, quoniam hinc facillè Christiani explorare possunt statum Imperij Turcici: *longitudo* eius, & *latitudo* pares, earum singulæ 16. mil. pass. *Ambitus* 60. Regio abundat oleo, & vino, ac montibus tumet. Onagris plena est, quorum in capite lapis cuius mentionem faciemus in Admirandis. Indigenæ omnes Græci, præfidiarij Veneti, à Prætore, seu *Providadore* administrantur.

## N V M. 5. De Tenos, &amp; Mycone.

TENOS, & Mycone, hodie *Tine*, & *Mycote*, arces habent munitissimas in rupibus, sed Tenos inexpugnabilem; Hæc quoque serico abundat, illa singularem rerum omnium penuriam experitur. Reguntur singulæ à singulis Nobilibus Venetis, eò altero quoque anno missis, quos Rectores vocant. Ad eas appellunt Christiani, qui seruitutem apud Turcas seruiunt, antequam eò perueniant parum tuti, & magnis cruciatibus expositi.

N n n ij